



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXXIV. Signum SS. Crucis fortissimum amuletum est contra
dæmones infestantes, & præstigias eorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO CXXIV.

Signum S. Crucis fortissimum amuletum contra dæmones & præstigias.

*Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: dedi-
sti letitiam in corde meo. Psal. 4. 7.*

I.

Cum DEus populum suum Israël è durissima Servitute Ægy-
ptiaca educere voluit, priùs illi mandavit, ut agnum immu-
culatum & anniculum vespere ad solis occasum immolaret,
illiùsque sanguine postes domorum tingeret: *Et sument de san-* Exod. 12. 6.
guine ejus, ac ponent super utrumque postem & in superliminaribus do-
morum, in quibus comedent illum. Facta est autem hæc sanguinis aspersio in

hunc finem, ut Angelus omnes Ægyptiorum primogenitos percutiens,
viso hoc signo, Israelitarum ædes relinqueret intactos, atque indemnes.
Quæres hic, quale signum tunc Hebræi fecerint super utrumque po-
stem? R. S. Cyprianus Signum T. quod erat figura crucis Christi, qui
ritus exinde singulis annis in paschate observatus est.

S. Cyprianus
lib. 2. c. 23.
contra Judæos,

Observa hic, anime mi, Signum crucis jam tunc erat credenti-
bus in DEum vitæ symbolum, proinde non immeritò Vates Jeseus
cecinit: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: dedisti letitiam in* Psal. 4. 7.
corde meo. Supra quod Cassiodorus & Hesychius: *Vultus Patris, inqui-* Le Blanc in
unt, Christus est, quem qui videt, Patrem videt: Lumen autem Christi crux est, Psal. 4. 7.

per quam orbem illuminavit, qui nos in fronte signavit. Pergit autem Psaltes
Regius: *Dedisti letitiam in corde meo.* Et quæ hæc letitia? *Ipsa crux,* ait
Le Blanc, *quæ est lumen Christi, parit letitiam, & tollit amaritudinem;* Et S. Da- S. Damasc.
masenus: *Crux, inquit, salus anima & corporis, omnium malorum aversio,* lib. 4. de fide
bonorum omnium datrix; Et S. Macarius: *Sacro sancta crucis signaculum omnem* cap. 12.
inimici enervat phantasm. En habes hic remedium contra omnes tenta- In vita S. Ma-
tiones. Sed pergo ulterius. carii c. 20.

2. Saul, ubi Spiritus Domini ab eo recessit, & spiritus nequam
cum exagitare cœpit, in summam tristitiam & melancholiam delapsus
est,
Ginther Unus pro omnibus. Nnn

est, quia factus est energumenus & dæmoniachus. Ad hoc malum levandum quaesitus est ab aulicis psalter peritus, qui citharâ suâ dulcisonâ ac gratâ musicâ animi illius excitaret affectus; Et ecce ubi David

1. Reg. 16. 23.

tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & resorbillabatur Saul & levius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus. Res mira! Cur dæmon non potuerit sufferre sonum citharæ Davidicæ?

R. Venerabilis Beda & alii apud Cornelium, quod malus spiritus à Saule pulsus sit virtute crucis Christi futuræ, cujus typus erat cithara Davidis. Si ergo te infestat maledictus dæmon, si variis tentat immundis, iracundis, superbis cogitationibus, apprehende hanc citharam, forma signum crucis in fronte, dicendo: *Jesus crucifixus sit in cogitationibus meis*; Perge ulterius formando crucem super os tuum, dicendo: *Jesus crucifixus sit in verbis meis*; Signa & cor tuum, dicendo: *Jesus crucifixus sit in operibus meis*; & videbis, quod ad hunc mysticæ citharæ tonum omnis à te sit recessura maligna tentatio (Experto crede Ruberto) Audi S. Cyrillum: *Damones*, ait, *Regis supremi characterem hunc observantes, territi fugam arripient, & in alio loco: Crucem, dicit, fidelium esse gratiam, demonum verò terrorem.*

S. Cyrillus
Catech. 4.
Catech. 13.

3. Progrediamur ad aliam figuram, & videamus duellum Davidis cum Goliath, ad quod David non de aliis sibi providit armis quam de baculo, quinque lapidibus & fundâ: *Cum ergo surrexisset Philistæus, & veniret, & appropinquaret contra David, festinavit David, & cucurrit ad pugnam ex adverso Philistæi, & misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, & fundâ fecit, & circumducens percussit Philistæum in fronte, & infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem suam super terram &c.* Ex quo patet, quod primo unius lapidis ictu in frontem vibrati turris illa carnea fuerit prostrata: Petiit autem David frontem gigantis, quia eâ perfractâ, necesse erat, ut & corpus stupidum & exanime in terram corrueretur. Verum non sine singulari mysterio hæc facta sunt: *Hæc autem omnia, ait Gentium Doctor Paulus, in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram.*

1. Cor. 10. 11.

S. August.
serm. 197. de
Temp.

Audiamus responsum S. Augustini: *Videte, inquit, Fratres, ubi David Goliath percussit, in fronte utique, ubi crucis signaculum non habebat; sicut enim baculus crucis typum habuit, ita etiam & lapis ille, de quo percussus est, Christum Dominum figurabat &c.* Pergit exinde Sanctus Ecclesiæ Doctor paulò inferiùs: *Quod verò in fronte percussus est, hoc significabat, quod modo in nostris competentibus exercetur, quia quando Cathecumenus in fronte signatur, spiritualis Goliath percussitur, & diabolus effugatur: propterea & nos signum ipsum crucis in fronte portamus, quia illud intelligimus.*

4. Confirmemus hanc veritatem per exempla. Refert Casarius lib. 7. Mirac. c. 27. Theodorico juvene Susariensi, quod Lubecum ad virginem, quam deperibat, contenderit, quæ tamen jam ab alio amatore præventa erat; quod audiens Theodoricus insanã irã percitus diaboli opem imploravit inclamans: *O diabole qui me huc adduxisti, hinc etiam poteris reducere*; Et ecce mox adstat invitatus hospes tartareus, juvenem in aëra evehit, & supra civitatem asportans, tandem in terram juxta flumen projicit, dicens trepidanti: *Periisses, nisi te signasses*; quia in ipso raptu miser ille juvenis se signo S. Crucis munierat, quod ipsi adhuc salutis fuit. Quam bene igitur S. Ignatius Martyr & Episcopus: *Crucis signum, inquit, trophæum est contra mundi principis virtutem, quod videns expavescit, & audiens timet.* S. Ignat. M. epist. ad Philipp.

5. Bartholomæus Spineus Magister Sacri Palatii, & Martinus Delrio recensent, quod saga aliqua plusquam quinquagies cacodæmonis ope ex loco remoto ad certam domum fuerit advecta, ut maleficiis suis cuidam noceret infanti; sed quia prudens mater in lege Christiana optimè instructa, hanc prolem suam SS. Crucis signo sedulo solebat signare, nunquam malefica illa domui & infanti nocere potuit: *Cum videritis illos (videlicet dæmones, dicebat quondam S. Antonius ad discipulos suos) tam vos, quam domos vestras crucis armate signatulo, & confestim solventur in nihilum: quia metuunt illud trophæum, in quo Salvator aëreas expoliens potestates, eas fecit ostentui.* S. Athanas. in c. 17. Delrio disquis. Magic. lib. 2. qu. 16.

6. Memorabile illud est, quod de asino S. Reguli Episcopi Silvanectensis commemoratur. Cum hic Sanctus Antistes è Gallia in patriam rediret, in via à matrona quadam, cui nomen Gallicia, rogatus est, quatenus filium suum à dæmone obsessum, dirèque cruciatum liberaret. Annuit S. Episcopus, & orationem Dominicam ac Symbolum Apostolicum super puerum recitans, in forma visibili cujusdam vespertilionis dæmonem abegit, qui vindictæ cupidus rectè asinum S. Præsulis petiit, & in eum ingressum molitur; Verùm asinus hic prudentior diabolo, conspecto hoc Stygio vespertilione, citò dextro pede signum S. Crucis in terra formavit, & quasi Deum sibi in adiutorem invocaret, capite in cœlum erecto, plus solito rudere cœpit, ad quod crucis signum sine mora hostis infernalis in fugam actus est. Notent hinc sibi osiores & inimici crucis Christi, discantque vel à bruto asino hoc salutis signum venerari; hinc rectè D. Ambrosius: *In uno signo crucis omnium rerum est tuta prosperitas.* S. Ambros. serm. 43.

7. Notissima est illa historia, quam narrat S. Gregorius de Judæo, qui imminente nocte obscurâ à civitate exclusus, in verustissimo Apollinis fano pernoctare coactus est, qui, cum undique à dæmonibus

468 *Consideratio CXXIV. Crux amuletum contra demones &c.*
nibus infestaretur, SS. Crucis signo, quod prius à Christianis in pe-
niculis factitari viderat, se munivit, & illæsus evasit, dum demones
in fugam conversi succlamarunt: *Vas vacuum, sed signatum.* Juvat hic
audire S. Cyrillum Archiepiscopum Hierosolymitanum: *Non pudeat,*
inquit, *nos Crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum crucis digi-
tis imprimatur, & in aliis omnibus crux fiat, in panibus comedendis, in posulis
bibendis, & in egressu & ingressu, ante somnum recumbendo, & surgendo, eundo
& quiescendo.*

S. Cyrillus
Catech. 13.

Surius 26.
Septembr.

8. Denique habemus præclarum exemplum in S. Justina V. &
M. quam Cyprianus magus nullis artibus ac veneficiis ad sui amorem
& libidinis assensum potuit pellicere; in quem finem per incantatio-
nes suas sæpius demones immisit, ut Sanctam illam Virginem ad re-
ciprocum tentarent & excitarent amorem, sed omnis eorum conatus
fractus & elusus est, dum virtute S. Crucis, quod signum Virgo for-
maverat, omnis caterva diabolica sine mora in fugam conversa est;
Quod videns Cyprianus, relictis magicis artibus ac cantionibus, to-
tum se Christo dedicavit, & simul cum Justina præclaro martyrio
coronatus est.

Ex quibus patet, quàm firma sit protectio contra diaboli &
maleficorum incurfus crux devotè in fronte, ore & pectore forma-
ta. Discant hinc mortales omnes, quomodo in cunctis tum corpo-
ris, tum animæ periculis debeant confugere ad hoc salutif-
erum crucis signum, in quo est salus, vita & re-
surrectio nostra.



CON-